QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVI. NOVEMBRIS.

M. IOANNE PIETRE, Doctore Medico Moderatore.

Fillesac 803.

An qui è trucidati vulnere antea sicco manat sanguis, prodeunte etiam sicario, solâ effluit putredine?


ANGVIS naturæ vim omnem continet, vitalem spiritum & calorem: venis reconditur: si fortè vena, eaque ampla, sæuo vulnere dissecta fuerit, effunditur ille, vnáque naturæ vires se se profundunt vniuersæ. Dissipato omnino spiritu, extincto calore, etsi non omnes exhaustæ sint venæ, vulnus ipsum hiet, nihil quicquam sanguinis effluit, vt vulnus, quod antea multo manabat sanguine, iam siccum sit. Equidem grauiore morbo cum languent vires, Medici iussu venâ peritè à chirurgo sectâ, patente etiam vulnere, non manat sanguis: quin si suum ille aliò conuerterit impetum, vt, qui exarserit in iras, si pugione confossus fuerit, moratur nec elabitur.


VI vulnere à sicario illato interit, immeritus moritur, nec suo is fungitur fato: perit miser ante diem, ipso etiam ætatis curriculo propè decurso. Fatalis mors nonnisi acta ætate contingit: meruit verò mori, quem febris extinxerit incautâ victus ratione accensa, namque is mortem sæpius lacessiuit intemperantiâ: cuiusuis interitus causa vnus est sanguis, siue exuperarit, defeceritue, siue vitium contraxerit, aut è venis eruperit: thesaurus ille vitæ quandiù intra modum integer & purus in venis asseruabitur, viuet natura & vigebit ab omni casu secura.


ALOR sanguinis vindex est locupletissimus: hoc integritatis suæ seruatore priuatus sanguis, corrumpitur, & putrescit: exesis putredine fibris, quibus cohæret sanguinis moles, fatiscentibus venis, putris hinc indè quandoque effluit, è naribus, ex ore, è locis: dilabitur quoque in habitum corporis, vnde liuescit cutis, vel vniuersa, vel quibusdam sui partibus: trucidato manat etiam ex eius vulnere, tum si fortè prodeat, qui cædis suspicione aspersus est, is, tanquam insigni indicio deprehensus, cædis author creditur communi hominum opinione. Ἀκοινονόητοι homines! ignorant cruentum duntaxat tabum esse, quod tùm stillat è trucidati vulnere, atque illud suâ sponte effluere, alieno cieri non posse impulsu: nesciunt τὸν ὁρμῶντα spiritum nullum in cadauere residere, omnem euanuisse, ex quo tempore animæ & corporis nexus fuit solutus.


RVCIDATO, cum discesserit anima, nullus est superstes sensus, vt quæ sicarij species, antea oculis hausta, & imis reposta fuerit sensibus, his omninò extinctis, deleta prorsus ea sit, nec eius horrore iam impelli sanguis possit, cum, trucidati corpore exanimi iacente, coram adfuerit sicarius. Quis vnquam sine mente & sensu horrere animo potuit? quo verò dissidio commoueretur sanguis in vindictam, prodeunte sicario? odij nulla tùm concipi potest imago, nec ea etiam in animo consignata obuersari: periit animæ facultas omnis, in qua hæc versatur ægritudo.


VO quisque expirat momento, eo ipso vitalis calor omnis emoritur; manent duntaxat caloris vestigia: at horum vis & potestas nulla, impetus nullus esse potest: subit putredo, quæ iam dominatur, & ditione suâ vniuersum tenet cadauer. Putredinis quidem ratio vna & eadem habetur; at modus varius est. Ecce cadauera fere omnia putrendo fœtent; sunt tamen quæ non male oleant, pyrorum modo (ea vulgus mollia appellat) quæ cum sint βλητά, icta putredine, eorum tamen odor & sapor non est ingratus, vt etiam esitentur: alia quamprimùm diffluunt sanie, quædam verò integra & illibata aliquanto apparent tempore: sane vt sua cuique est ἰδιοσυγκρασία, sua quoque est & peculiaris putredo: & quæ nitent foris cadauera, sordent intus putri tabo: sunt poma quæ roseo suffusa rubore & decorâ pelle adeò speciosa, vt cuique blandiantur aspectu, attamen dissecta cernuntur introrsum vitiata putredine: vt vt sit, defunctum vitâ corpus mox putret, vt, quæ tum eueniunt omnia, vna putredo promoueat.

Ergo, qui è trucidati vulnere antea sicco manat sanguis, prodeunte etiam sicario, solâ effluit putredine.

Proponebat Lutetiæ LEO LE TOVRNEVRS, Rhedonensis. A. R. S. H. M. DC. XXXIV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Georgius Ioudoüyn.
M. Hugo Chasles.
M. Nicolaus Heliot.

M. Ioannes Vacherot.
M. Claudius Seguyn. P. R.
M. Ioannes Baptista Ferrand.

M. Petrus Beaurains.
M. Ioannes Texier.
M. Robertus Tuloüe.

